

sed obsequio nostro, id est, inquit ipse: « Non ex necessitate, sed ex voluntate, » solum ergo vult dicere quod libere operamur, non necessario. In alio autem loco docet Deum non salvare, nisi rationabiliter, et causis præcedentibus, quod est dicere quod salvat nos, et dat gloriam in executione intuitu meritum, et quia alii recipiunt sponte sua Filium Dei, alii non: cum dicit autem sponte sua, non excludit auxilium, et gratiam Dei, qua fit in nobis hoc spontaneum. S. Prosper dicit homines necessitate non impelli ex prædestinatione Dei. Hoc optime dicit et catholice, quia non tollitur liberum arbitrium, et ita hoc contra Calvinum allegari potest, non contra nos. S. Damascenus loquitur de prædeterminatione necessitante, ut exponit S. Thomas 1 p. q. xxiii, a. 1 ad 1, et nos ostendimus tomo præcedenti, disputatione xx, a. v, et iterum agemus infra disputatione septima. S. Anselmus docet necessitatem antecedentem tollere libertatem, non autem suppositionem quamlibet antecedentem. Illa autem est necessitas antecedens, quæ influit necessitatem, et sic libertatem impedit, aut tollit. Quæ vero influit libertatem, et dat modum operandi liberum, licet sit antecedens suppositio, non tamen est antecedens necessitas, sed solum consequens, quia solum potest fieri consequentia necessaria ex suppositione illius decreti divini, et modi operandi efficaciam ejus, quod non conjungatur actus oppositus cum tali decreto, non tamen quod ex influxu necessitatis in ipsam operationem, et modum operandi creatæ voluntatis, tollendo scilicet indifferentiam ejus, sequatur illa necessitas. Quod si illa suppositio antecedens non influit necessitatem in operationem voluntatis, sed potius est causa prima, et radix libertatis ejus, quantumcum-

que fiant consequentiæ necessariae inter talem suppositionem, et actum consecutum, nihil læditur libertas. De quo satis diximus disp. xx, a. v et vi, in tomo præcedenti. Quando autem subdit Anselmus quod has necessitates consequentes facit ipsa libertas, sic ex suppositione ipsius actus libertatis debet fieri sensus compositus, non ex alio principio extrinseco, respondetur quod perinde est fieri istas consequentias ex suppositione actus, vel ex principio quod licet in se, et entitative et formaliter sit extrinsecum, causaliter tamen, et radicaliter est intrinsecum quia est causa, et radix totius operationis, et modi operandi voluntatis creatæ, et intra voluntatem operatur, et quidquid in operatione libera est, ab ea derivatur. Tale principium extrinsecum eminenter, et causaliter est ipsemet actus liber; et sic idem est ex suppositione ipsius actus procedere, atque ex suppositione auxilii, vel decreti Dei, quia hoc eminenter, et causaliter est totus ipse actus liber, etiam ut liber, quia ab eo originatur, etiam ut liber est.

XXVII. Ad auctoritates Augustini respondimus abunde supra disp. iii, art. iii, ubi præcipua loca Augustini in contrarium solvimus, et adhuc agatur infra disputatione septima tractando de prædefinitionibus divinis. In summa dicimus probare illa loca, quod Augustinus tradiderit auxilium excitans, et id quod in vocatione ex parte excitationis, et illuminationis se tenet, quod nemo negat, nisi qui Calvinum sustinuerit, qui negavit auxilium excitans. Non tamen negavit Augustinus vocationem effectricem bonæ voluntatis, ut loquitur libro primo ad Simplicianum quæstione secunda, nec negavit præter istas excitationes, et suasiones requiri subministrationem Spiritus, quo Deus operetur ipsam bo-

nam voluntatem, ut satis superque probavimus supra. Et Augustinus ipse libro de correptione et gratia, capite xii, expresse docet requiri præter auxilium sufficiens sine quo voluntas non potest operari, quod non relinquatur voluntas sibi ipsi, quia sic deficeret, sed quod Deus operetur ut velit, et sic quod subventum est infirmitati voluntatis ut indeclinabiliter, et inseparabiliter ageretur. Quod certe sustineri non potest si intelligimus Augustinum solum posuisse excitationem quamdam indifferentem, quam nos consensu nostro a Deo præviso facimus determinatam, et efficacem. Hæc enim excitatio, et quodcumque indifferentis auxilium tale est, quod cum illo relinquitur homini voluntas sua ut maneat in tali adiutorio si velit, nec Deus ulterius operatur, ut velit posito hoc auxilio. Dicit autem Augustinus quod: « Si sic relinqueretur illis voluntas sua ut in adiutorio Dei sine quo perseverare non possunt (quod est auxilium sufficiens) manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot et tantas tentationes, voluntas ipsa infirmitate sua succumberet: subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, et inseparabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma, non deficeret. » Ergo sentit manifeste præter excitationem indifferentem, et auxilium sufficiens, quod de se indifferentis est ad operari de facto, vel non, aliud datur quo indefectibiliter agitur. Hoc autem si non sit indefectibile ex natura sua, et prout a Deo descendit, sed ex præviso consensu, sufficeret illud primum auxilium sufficiens cum tali prævisione. Impertinenter ergo superadderet Augustinus hoc secundum, quo indefectibiliter ageretur voluntas, si illud primum sufficeret stante prævisione consensus, et hoc

secundum non agit infallibiliter, nisi tali prævisione supposita.

XXVIII. Quare ad omnia loca Augustini quæ solum faciunt mentionem vocationis, et illa mediante Deus dicitur agere voluntatem nostram, respondetur unico verbo, quod loquitur de vocatione, non prout sistit in excitatione intellectus, et propositione objecti, sed habet adjunctam efficientiam intra voluntatem, et gratiam adjuvantem prævenientem; sic vocavit illam Augustinus effectricem bonæ voluntatis, ut supra citavimus, et quæ non solum operatur veras revelationes, sed etiam bonas voluntates, ut dicit libro de gratia Christi, capite xxiv. Si autem operatur bonas voluntates solum mediante motione morali, et propositione objecti, relinquendo voluntati ut per illam se determinet, sufficeret gratiæ veras revelationes operari, non autem ultra hoc bonas facere voluntates. Hæc est ergo vocatio et excitatio de qua loquitur Augustinus et de qua intelligendus est in aliis locis, ubi licet non expresserit id quod ex parte efficientiæ interioris in voluntate se tenet, id tamen supponit, ut ex his locis adductis patet. Et cum in libro primo ad Simplicianum congruitatem gratiæ videtur sumere ex contemperatione auxilii cum nostro affectu, et quia diversimode aliqui affecti sunt, ideo id quod unum movet, alium non movet, jam supra disp. iii, art. ii, respondimus, quod ille affectus cui attemperatur auxilium, est affectus a Deo causatus per subministrationem Spiritus, non ex nobis cum sola gratia excitante, aut auxilio indifferenti adjunctus. Quod ibi latius videri potest.

XXIX. Cum autem Augustinus dicit non esse solam gratiam, id quo operamur, verissimum est, quia gratia non excludit liberum arbitrium sed perficit, et ita non est sola, est

tamen ex ipsa quicquid liberum arbitrium etiam partialiter habet, quia hoc parziale etiam a Deo est, cum aliquid creatum sit, et ipsum meum sine Dei auxilio non est meum.

Aliunde posset ex Augustino obijci, quia aliquando videtur inter duos æqualiter a Deo præventos, aut tentatos, ad solum arbitrium nostrum referre differentiam quod unus bene operetur, alius non, quod stare non potest, si ipse etiam partialis influxus nostræ voluntatis, et consensus ex diversitate gratiæ causatur. De præventis æqualiter loquitur in libro de prædestinatione et gratia, capite xv (licet hic liber non sit certum quod sit Augustini) ubi parificat quantum ad omnia Pharaonem, et Nabuchodonosor in natura, in dignitate, in pœna qua flagellati sunt a Deo, in causa, quia uterque populum Dei captivum tenebat. Et tamen fines eorum fuerunt diversi: « Quia unus, inquit, manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordiosissimam veritatem pugnavit arbitrio. » Sed hic locus, etiam dato quod Augustini sit, nihil concludit, quia ille manum Dei sentiens et ingemiscens, hoc ex auxilio Dei fecit, quia ut ibi subdit Augustinus: « Illi ut mutaretur adfuit divinum præsidium, alteri ut induraretur defuit. » In eo autem auxilio non solum includitur excitatio, et propositio objecti, et auxilium indifferens, sed etiam determinata efficacia ut voluntas creata consentiat, hoc enim ibi non negat Augustinus et aliis locis, ut vidimus, affirmat. De tentatis æqualiter ponit exemplum xii de civit. cap. vi, de duobus æquali tentatione visæ mulieris pulsatis, cum æqualiter essent affecti animo et corpore, et æquali suggestionem diaboli afflati, tamen unus vult, alter

non vult a castitate deficere. « Unde inquit Augustinus nisi propria voluntate? Ubi eadem fuerat in utroque corporis, et animæ affectio, ambobus oculis pariter visa est eodem pulchritudo, ambobus pariter institit occulta tentatio. » Cæterum intentio Augustini in illo loco solum est ostendere, quod consensus in tentationem oritur a voluntate propria ut deficiente, et non solum ex eo quod natura est, quia ibi loquitur expresse de origine mali, et peccati unde sit, cum ipsa natura sit bona, et dicit oriri ex propria voluntate, ut ex nihilo facta est, seu ut defectibilis est. Resistentia autem contra illam tentationem, licet propria voluntate fiat, tamen quod ex illa oriatur, et non ex Deo, ut ex prima causa determinate, et movente, ibi non dicit Augustinus sed supponit ut certum ex aliis multis locis quæ abunde a nobis allata sunt supra, et disputatione tertia.

XXX. Alius locus est Cyrilli Alexandrini lib. xi in Joannem, c. xxi, circa finem, ubi dicit: « Judam æqualem gratiam cum aliis Apostolis sortitum esse, seu æquale auxilium. » Et tamen constat Judam cecidisse, alios stetisse: ergo efficax auxilium frustrabile est nostra voluntate; si enim æquale auxilium cum aliis recepit, utique et hoc recepit. Sed Cyrillus explicat mentem suam, et difficultatem hanc his verbis: « Sin autem non minus quam cæteri divina gratia regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus sit, quomodo etiam non servavit eum Christus, qui suum patrocinium ei præstitit, qui quantum ad ferendam opem illi attinuerit, servasset hominem, nisi ille ultro in perditionem insiliisset? Gratia igitur in aliis effulsit, servavitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt. » Loquitur ergo Cyrillus de

æquali gratia, quantum ad dignitatem apostolatus, et quoad sufficiens auxilium, non quoad efficax; hæc enim gratia in aliis effulsit, qui ei cooperantem voluntatem tradiderunt. Non tradiderunt autem nisi ex ipsa gratia, quæ hoc ipsum in eis effecit, ut traderent voluntatem. Id enim esse distinctam gratiam seu beneficium a suasionem, et excitationem, et a sufficiente auxilio expressissime docet ipse Cyrillus in libro de adoratione in spiritu circa medium, ubi sic ait: « Iudicium autem tibi sit valde manifestum, dum non solis verbis nos stimulat, et adhortationibus menti immissis, ut discedamus a peccato, sed tantam benignitatem nobis etiam exhibet, universorum Salvator Deus, ut efficaci subsidio adjuvet, secundum quod scriptum est: Apprehendisti manum dexteram meam, et in consilio tuo deduxisti me. Nam quoniam hominis natura non valde generosa est, neque satis idonea, ut malum effugere queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, et duplex concedere beneficium videtur, persuadens admonitionibus, ut subsidium inveniamus, et fortius illud præstans, quam ut malum præsens, et violentum prævalere possit. » Quid clarius pro distinctione efficacis auxilii a sufficiente potuit dicere Cyrillus, et declarare quomodo efficax sit fortius? Non ergo est indifferens, et ex nostro consensu fit efficax, sed ex se est tale quia fortius est.

LOCA D. THOMÆ EXPLICANTUR.

XXXI. Primo, arguitur ex D. Thomas in iv, dist. xlix, q. i, art. iii, quæstiunc. ii ad i, ubi ita dicit: « Ad primum dicendum, quod potentia rationalis se habet ad opposita in his quæ eis subsunt, et hæc sunt

illa, quæ per ipsam determinantur, non autem potest in opposita illorum quæ sunt ab alio determinata, et ideo voluntas non potest in oppositum ejus ad quod ex divina impressione determinatur. » Ecce quomodo dicit apertissime s. doctor determinationem divinam, quia non subest voluntati nostræ, omnino tollere potestatem in oppositum, quod est tollere indifferentiam ejus, et libertatem. Et in hoc eodem sensu loquitur S. Thomas in ii, dist. xxv, q. i, art. i ad iii, ubi inquit: « Quod Deus in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, et sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis, et finis in potestate liberi arbitrii continetur, unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti. » Eadem ratione attribuit dominium voluntati q. iii de potentia, art. vii ad xiii, non per exclusionem causæ primæ: « Sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet. » Non ergo indiget voluntas nostra a Deo determinari ad unum; poterit ergo indifferenti concursu, et decreto succurri a Deo, non efficaci, et determinato ex se. Pertinere autem determinationem voluntatis ad se, et non esse ex aliis prioribus causis, sed ex intellectu suo S. Thomas affirmat in citato loco dist. xxv, q. i, a. i, in corpore et dist. xxviii, q. i, a. i, in corpore.

Confirmatur ex quodlibeto i, art. vii ad ii, ubi expresse affirmat, quod: « Cuicumque auxilio prævenienti, et præparanti hominem, ipse homo potest resistere; » sed inter prævenientia auxilia numeratur etiam illud efficax, ergo ipsi potest homo

resistere, et sic non est determinatio et efficacia orta ex Deo, sed supposita ex nostro consensu non resistente. Et idem videtur docere q. vi de malo, art. unico ad xv, ubi inquit quod: « Illa causa quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per voluntatem impedimentum præstari. » Ergo si efficax voluntas Dei facit voluntatem velle, potest ei impedimentum præstari a voluntate.

Confirmatur secundo ex quæstione vi de verit. art. iii in fine, ubi infallibilitatem divinæ prædestinationis reducit ad media quæ Deus adhibet, non autem ratione illius efficaciæ determinatæ, qua Deus determinat voluntatem. Dicit enim quod: « In prædestinatione licet liberum arbitrium deficere possit a salute, tamen in eo quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat, sicut exhortationes, et suffragia orationum, donum gratiæ, et alia hujusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. » Ergo non est ponenda illa efficacia determinans ex parte Dei; sed solum illa quæ nascitur ex mediis indifferentibus.

XXXII. Respondetur ad primum locum D. Thomæ ex quarto sententiarum, quod ibi expresse agit D. Thomas determinatione voluntatis quoad specificationem, non quoad exercitium, et in individuo. Et dicit quod non potest voluntas in oppositum ejus ad quod ex impressione divina determinatur, quantum est ex parte objecti, ita ut non velit bonum sub ratione boni, sed malum; hoc enim velle non potest: ita enim appetit de necessitate beatitudinem in communi, quod non potest velle miseriam. Et sic verba in argumento relata omittunt aliquid, quod plene explicat mentem D. Thomæ, dicit

enim quod: « Non potest voluntas in oppositum ejus ad quod ex impressione divina determinatur, scilicet in oppositum finis ultimi, » et hoc omittit argumentum, quia scilicet respectu finis ultimi est necessitata voluntas quoad specificationem, et non habet indifferentiam contrarietatis, quia ex natura sua, seu ex impressione divina imprimente, et dante naturam voluntati, oritur illa determinatio ad finem ultimum, et ad bonum in communi. Dicimus ergo quod ad id ad quod determinatur voluntas ex impressione divina, id est, ex naturali inclinatione impressa a Deo, non potest in oppositum, quia necessitatur ex natura sua ad illud objectum, quantum ad specificationem, scilicet ad bonum sub ratione boni, et ad beatitudinem in communi, ita quod non potest velle oppositum. Cæterum ad id ad quod determinatur in individuo, et in exercitio servando possibilitatem in oppositum, et cum indifferentia iudicii, et per illam regulando actum eliciendum, potest in oppositum potentia antecedenti, et in sensu diviso, quia sic determinatur, et movetur a Deo.

XXXIII. Ad locum ex secundo sententiarum dist. xxv, respondetur quod D. Thomas ibi solum docet quod determinatio actus, et finis est in potestate liberi arbitrii, quod nullus negare potest, nisi neget libertatem. Quod vero ista determinatio ita sit in potestate nostræ voluntatis, quod non etiam descendat a potestate Dei causante illam determinationem, sed expectante a nobis, hoc D. Thomas nullo modo dicit, sed oppositum ibi insinuat, dicendo quod: « In liberum arbitrium hoc modo agit, ut sibi virtutem agendi ministret, et ipso operante liberum arbitrium agat. » Non dicit ipso solum cooperante, sed ipso operante, atque adeo incipiente, et causante ipsam

determinationem voluntatis: non enim repugnat quod ista determinatio voluntatis, et libertas oriatur ex alia priori causa, quæ ipsius voluntatis auctor est, et origo, scilicet a Deo. Quod totum explicavit S. Thomas I p. q. lxxxiii, art. i ad iii dicens quod: « Liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se movet ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id quod liberum est: sicut nec ad hoc ut aliquid sit causa alterius, requiritur quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens, et causas naturales, et voluntarias: et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit. » Ita D. Thomas. Dicere ergo quod determinatio actionis sit in potestate voluntatis, non tollit quin sit etiam a Deo eam faciente et determinante ut causa prima. Et cum in eodem loco ex distinctione xxv dicit in corpore, quod in solis habentibus intellectum est liberum arbitrium, non autem in illis quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a causis prioribus, sensus clarus est, quod in illis quorum actiones ita sunt ab aliis causis, quod non a se, quia carent intellectu, non est liberum arbitrium, quod verissimum est. Quod autem illi in quibus est intellectus, et moventur a se, non moventur ab alio, qui est causa intellectus, et voluntatis, hoc non dicit D. Thomas. Et in loco citato ex distinctione xxviii, nihil aliud dicit, quam quod homo non esset liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio iudicio eligeret hoc aut illud; quod est pertinere ad ipsum, ut ad causam secundam, et inferiorem, de-

pendenter tamen a causa prima ut causante, et determinante. Locus autem ex quæstione tertia de potentia non urget, quia ibi solum dicit D. Thomas quod Deus non necessitat voluntatem ad unum, non tamen dicit quod non movet determinate ad actum, servando indifferentiam ex parte modi operandi.

XXXIV. Ad confirmationem respondetur rectissime, et catholice dici a D. Thoma: « Illo quodlibet i quod Deus sic movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere, » motioni quidem pure excitanti, aut tantum præbenti sufficiens auxilium potest resistere, etiam in sensu composito, et potentia consequenti; motioni autem etiam adjuvanti, et præbenti efficax auxilium, in sensu diviso, et potentia antecedenti. Et sic etiam catholice, et verissime idem s. doctor affirmavit I-2, q. x, art. iv ad iii, quod: « Si Deus movet voluntatem, impossibile est quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter. » Et q. cxii, art. iii, in corpore: « Si ex intentione Dei moventis est quod homo cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter eam consequitur. » Quod ergo dicat D. Thomas posse hominem resistere motioni Dei, est idem quod posse dissentiri, et posse abicere motionem Dei, quod aperte Concilium Tridentinum definivit, sine præiudicio efficaciæ Dei moventis, et determinantis, et simul dantis istud posse. Cum autem dicitur in quæstione sexta, de malo, quod causa quæ facit velle, non oportet quod de necessitate id faciat, quia a voluntate potest ei impedimentum præstari, respondetur quod non est diversa significatio in illo verbo impedimentum præstare, et in illo verbo resistere, aut abicere, aut dissentire. Omnia hæc idem significant, et sic posse a voluntate